Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1561

Quelle:
Copyright:

tionis noſtrae nacti notitiam. Defunctus vero Epiſcopus, ex eodem Ordine a. 1403. ut habet *Ughellus T. I. col.* 702. lectus, F. *Federicus Frezzius*, qui Poemate italico dicto *il Quadriregio Dantis Aligerii Comoediam* aemulatus eſt. Poematis hujus unicam Editionem protulere dicti Bibliothecarii de *Frezzio* agentes T. I. p. 758. Sex antiquiores enumerat *Niceronus* T. VII. p. 145. et ex eo *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. VI. p. 204. quibus *Mediolanenſem* 1488. per *Ant. Zarotum f.* addo. Verum haec non hujus fori. Obiiſſe Noſtrum nec a. 1515. nec a. 1517. etiam e praeſenti *Oratione* certum eſt contra *Leand. Albertum*, *Ant. Senenſem*, *Ant. Poſſevinum* et *Lud. Jacobillum*. Incipit illa: *Ingreſſus eſt ad dominum. Scribuntur hec verba in lectione miſſe preſentis diei — Locuturus in preſentiarum R^mi P. et D. ſuper lugubri caſu defuncti preſulis f. cuius memoria in benedictione eſt* &c. De Defuncto: *Equidem ratione religionis fuit in ſuo ordine altis prelature tytulis inſignitus, et tandem prouincialis ſue Romane prouincie, Ratione probitatis fuit in diuerſis ſtudijs promotus et honoratus et nobilis Magiſter ſacre pagine, Ratione morum grauitatis fuit vir conſilio plenus vnde apud omne genus hominum permaxime apud ſuos ciues celeberrime fame, Ratione optimarum artium ſtudij fuit communi vtilitati ſumme proficuus propter quod acclamante populo fulginate conſtitutus eſt glorioſe Epiſcopus illius Eccleſie — 12. pauperes in ſua domo omni die paſcebat — religioſos quosque et maxime tranſeuntes in ſua domo — confouebat non minus et eos in propriis conuentibus ſuſtentando, temporibus kariſtie que in partibus illis ſepiſſime contingit, frumentum quo eccleſia ſua erat ſatis habundans, tanta caritate diſtribuebat egenis, ut linguis omnium pater pauperum vocaretur* &c. Unde mirum, nullam mortis Ejus in *Faſtis* Concilii T. IV. *Actor. Hardtii* haberi memoriam.

XIV. *fol.* 215. *Sermo ejusdem generalis* (Leon. de Datis) *coram Concilio Conſtan. eodem anno in dominica 4ome.* Sermonis hujus et mox dicti *Faſti* et Bibliothecarii *Ord. l. cit.* meminere. Hi tamen errore fortaſſe typi ad an. 1415. referunt. Initium eſt: *Reuerendiſſimi Patres &c. Etſi iuxta ſacri canonis veritatem omnia ſuis debent conuenire temporibus* &c. E verbis Apoſtoli: *Ecce nunc dies ſalutis.* 2. *Cor.* 6. hortatur ſacri Jejunii tempore ad mores, Eccleſiamque reformandam rite uti, et ſub finem laudibus onerat *Sigismundum* Rom. Regem, *qui ſigillans mundum merito interpretatur, ſine ſuperbia nobilem, ſine inuidia potentem, ſine ſuperſtitione religioſum, ſine iactantia operantem, ſine ſtudio facetum, ſine inertia grauem, ſine aſperitate conſtantem, ſine partialitate communem*, eumque cum plurimis antiquis Heroibus, ut in utroque *Sermo-*